

NOUVELLE REVISION DES RUBRIQUES

DU BREVIAIRE ET DU MISSEL

(suite)

IX. De Commemorationibus.

N. II Quando contingit fieri plures Commemorationes, *illa semper præponantur, quæ ad Officium pertinent, cujuscumque sit ritus; exceptis illis, quæ ab Officio, de quo agitur, nunquam separantur, uti de sancto Paulo Apostolo in Cathedra sancti Petri, etc., prout in Rubricis specialibus suo loco dicitur. Deinde servetur hic ordo: 1. De Dominica privilegiata, 2. de die Octava, 3. de Duplici majori, 4. de Duplici minori, ad instar Simplicium redactis, 5. de Dominica communi, 6. de die infra Octavam Corporis Christi, 7. de Semiduplici, 8. de die infra Octavam communem ad simplicem ritum pariter redactis, 9. de Feria majori vel Vigilia. 10. de Simplici.*

X. De Translatione Festorum.

N. I. Si aliquod Festum Duplex occurrat in Dominicis Adventus, et in Dominicis a Septuagesima usque ad Dominicam in Albis inclusive, in Vigilia et Festo Nativitatis Domini, in die Circumcisionis, in Festo ac tota Octava Epiphaniæ, in Feria quarta Cinerum, in tota majori Hebdomada, et in infra Octavam Paschæ, in Ascensione Domini, in diebus a Vigilia Pentecostes usque ad Festum Sanctissimæ Trinitatis inclusive, in Festo Corporis Christi et ejus die Octava, in Festo Sacratissimi Cordis Jesu, in Festis Immaculatæ Conceptionis, Annuntiationis et Assumptionis beatæ Mariæ Virginis, in Nativitate sancti Joannis Baptista, in Festo sancti Joseph Sponsi ejusdem beatæ Mariæ Virginis, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, ac omnium Sanctorum, transfertur in primam diem Festo duplici vel semiduplici non impeditam, exceptis tamen Festis Nativitatis sancti Joannis Baptista, et sanctorum Apostolorum Petri et Pauli, quæ in die Octava Corporis Christi et in Festo Sacratissimi Cordis Jesu celebrantur: excepto quoque Festo quocumque solemniori alicujus loci, quod in propria tantum Ecclesia, etiam in aliquibus ex supradictis diebus occurrens, scilicet in Dominicis secunda, tertia et quarta Adventus, et Quadragesimæ, Dominica Septuagesimæ, Sexagesimæ et Quinquagesimæ, et diebus infra Octavam Epiphaniæ (ut in Rubrica de Commemorationibus dictum est) et excepto Festo primario solemniori in Festo Sacratissimi Cordis Jesu, celebratum.

Iisdem comprehenduntur regulis alia Festa duplicia, quorum translationi in toto anni decursu locus non superest. *Festa tamen duplicia minora, quamquam non sint Doctoris Ecclesiæ, si quotannis a digniori Officio impediuntur, reponuntur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo recolenda.*

N. 5. *Festum tamen semiduplex, si quotannis ab Officio digniori impeditur, reponitur in prima die libera, tamquam in propria sede perpetuo celebrandum, uti de Duplici minori superius cantum est.*